n°. 16.

reçu le 7. fev.

Academiae Chirurgicae Parisiensi experientis=
=simae hoc novo anno omnia fausta felicia=
=que eveniant.

Dissertatio de vulneribus per sclopeta factis

Haec autem vulnera sunt cum carne mortua, sine contusione
(nisi cum tormentum bellicum disruptum fuerit) per glandem
plumbeam aut ferream, vel aliud quid, quod sclopeto bombar=
=dave explosa in corpus nostrum emissum est, inflicta. Ad hu=
=jusmodi vulnera quoque spectant, quae inferuntur ab ipso tor=
=mento dissulto, manum vel corpus nostrum cum impetu
feriente. Item cum explosio fit, nullo ferme spatio interposito,
vel recta, vel oblique in corpus aut nudum, aut veste tectum,
cujus caro ob hoc ipsum non leviter vitiatur: maxime si gran=
=dines plumbeae vel charta convoluta fuerit adjecta, quae sim=
~~haec~~ etiam interdum corpore excepta sub carne conditur, quod
durities et aliquis dolor indicat. Adhaec si sine charta convolu=
=ta explosio recta, tribus vel quatuor passibus interjectis, in cujus=
=dam faciem evenit, quae hinc perquam nigra apparet, gra=
=nis pulveris tormentarii interstincta, cum magna intume=
=scentia, efficiente ne oculi aperiri possint; naribus sangui=
=nem fundentibus, et anima initio deficiente. Aliquando
incidit, ut facies vel manus grana pulveris pyrii tantum
accipiat, quibus deinde liquatis macula livida sequitur.
plures habet species, alterum est sine corporis laceratione,
alterum cum vasa et tendines lacerati sunt, imo os ipsum
confractum. Ex alio nihil sanguinis exit, ut plerumque
contingit; ex alio is rapide fluit, praecipueque ubi id, quod
vitiatum est, ab integro diducitur. In alio telum carnem
duntaxat in summo corpore laesit, in alio altius penetra=
=vit et mansit, in alio totum membrum transiit. Modo
membrum servatum est, modo aliquam partem amisit,
modo totum sublatum est. Suprascripta vulnera majori
cum difficultate curantur, quam quae sine carne mortua
sunt. Quam ob rem saepe homo per pulmonem ense trans=
=fossus sanatur, quem glans plumbea, postquam idem vis=
=cus transiit, rapit. Interim nunquam desperandum, quo=
=niam cum in medicina vix quicquam spei sit, est tamen
aliquid in natura: cujusmodi casus passim apud auctores
reperiuntur. Etiamsi quo major necessitas sit partium lae=
=sarum, et caro magis vitiata, hoc plagam perniciosiorem
usu cognoscamus. Ne adjiciam vulnus pervium facilius sa=
=net

=nescere, quam quod partem tantum majoris membri transit,
potissimum si globulus, aut aliud quid intus remanserit. Cu-
=randi causa sanguis, si fluit, supprimendus; res nociae, si in-
=tus haereant, ejiciendae; caro mortua ab integra resolvenda,
plagaque purganda, replenda, et cicatrice obducenda, ratio-
=ne symptomatum interim habita. Sanguis, si fluit suppri-
=mitur, utendo bovista pulverulenta, vel stupa subtilissimorum
filorum purissima convoluta, ac polline cretae albae vel
bolo Armeno respersa. Earum alterutram aliam super a-
=liam in vulnus demittere, imprimis qua vas vulneratum
est; pulvillos superdare; et haec omnia fascia longa satis
vehementer adstringere oportet. Si arteria in aliqua extre-
=mitate sanguinem effundit, vinculo torculari, quod Galli
tourniquet appellant, locus est. Servandumque hoc torcu-
=lar, donec sanguis bene quiescit; quod vix infra diem septi-
=mum continget: interea temporis ratio plagae habenda.
Res nociae ejiciendae sunt utplurimum globulus plum-
=beus, plumbeae grandines et charta convoluta superinjici
in sclopeta solita. Interdum haec corpori illata magno ne-
=gocio ejiciuntur: huic rei tamen opera danda. Si quae
recipi non possint, naturae, quod ajunt, committi debent
usquedum remediis, quae pus cient, injectis, vel faci-
=lius extrahantur; vel intus, ut plumbea glans grandi-
=nesque plumbeae in perpetuum maneant. Si glans
plumbea intus insedit, specillo demisso conquirenda, et
vel volsella magna, vel glandiforcipe, vel terebello Hildani
per unam cannulam simplicem, et alteram denticulatam
intruso, eximenda. Si hoc modo eximi nequit, et parum su-
=perest, quo aperto ab altera parte evellatur, quod duritie
rotunda cognoscitur, hic locus incidendus est, et illa sic re-
=cipienda. Si partes tuendae incisionem vetant, glans
omittenda, et sanitas ratione, quae paulo post tradetur,
reddenda. Deinde fieri potest, ut pondere suo paulatim in
locum sive incisionis, sive hospitio commodiorem decidat.
Si hospitatur in loco nervoso, cum dolore fertur, qui in-
=flammationem, vigiliam, et delirium concitare so-
=lest. Si inter musculos et membranam, quae sinit tho-
=racem, recidet, in ejus cavitatem perrumpere valet, et
varia deinde mala movere. Ubi locum arteriae cuidam
grandi vicinum habet, illam comprimendo membrum,
ad quod pervenit, macrum fit. Sed perquam raro accidit,
ut plumbea glans cranium transeat, inter quod et duram
matrem, nullo incommodo superveniente, moretur. Item, ut
abdomen perrumpat, et aliquot diebus interpositis alvo redda-
=tur; aut vesica recepta, arenulis circumdatis, in calculum
quasi vertatur. Atqui ut foramina tenuia, quae grandines

plum

plumbeae corpori immissae fecerant, clauduntur sic, ut
eximi non sinant; ita exiis etiam minor quam ex glande
metus subest. Charta convoluta per vulsellam optime è vul-
=nere protrahitur. Quod ad reliqua ejicienda, ut lapillos, par-
=tes vestimenti, et ossis fragmenta: lapillus eodem modo,
quo glans plumbea eximendus est, praeterquam quod tere-
=bellum Hildani locum non habet. Et partes vestimenti, si-
=cut charta convoluta, requirunt vulsellam. At ossis fragmen-
=ta, quae specillum demissum moveri testatur, experiri opor-
=tet, annon vulsella sine dolore depromi queant. Si adhuc
per periostium cum reliquo osse cohaerent, in locum suum,
quoad fieri potest, reponenda sunt atque relinquenda. Si
cum eo non coeant, evulsio iterum tentanda. Cum vulnus
angustius est, cultello incisorio, aut spongia huic rei accom-
=modata prius dilatandum. Si nescio quid aliud sit, quod
evulsionem prohibeat, pus moventibus adhibitis, suapte
sponte prodire sinendum est. Caeterum rebus noxiis exem-
=ptis, caro mortua ab integra resolvenda, plagaque purgan-
=da: utrumque optime fit unguento basilico, praecipue si ei
par portio balsami Arcaei admixtum sit; quia hoc unguen-
=tum mixtum plus digestionis efficit, eoque celeriorem car-
=nis mortuae separationem, vulnerisque purgationem. Si, ob
coelum calidum, aliave de causa, malus odor accedit, aut
ne accedat, metus est, tertia pars unguenti Aegyptiaci adjici-
=enda. Ubi caro putrescit sic, ut hoc non satis opituletur, plus
hujus unguenti addendum, quin hoc per se, aut unguentum
de chelidonia (quod paratur ex succi chelidonii ℔j ß. mellis al-
=bi ℔ij. pollinis aloes et myrrhae an. ℥ß, coquendo ad ungu-
=enti crassitudinem.) adhibendum. Si aridus corporis habi-
=tus est, quem exsucci et senes fere habent, plus auxilii in
unguento de melle (quod fit ex vitelli ovi ad duritiem cocti
et mellis albi ana ℥iv. quibus in mortario per pistillum op-
=time unitis admiscenda terebinthina communis ℥ß, et fiet
unguentum mollius) erit. Etiam, si putredo postulat, antequam
aliquod ex illis injicitur, vulnus unguento Aegyptiaco aut de
chelidonia spiritus vini s. q. diluto, elui convenit. Illudque,
quod injicitur, calide et largiter linamentis sive plagulis, sive
in modum collyrii compositis, prout vulneris ratio postulat, illi-
=nendum. Posterius linamenti genus non tam crassum esse de-
=bet, ut exitum materiae noxiae impediat; nec tam arcte impli-
=citum, ut dolorem excitet; sed adeo longum, ut ferme ad i-
=mum vulneris totum membrum non pervadens pertingat.
Quod si tam altum sit, ut usque eo pervenire non possit, deco-
=ctum hordei, addito multo melle albo, et si necesse est, etiam
unguento Aegyptiaco, calefactum auriculario clystere intus com-
=pellere satis est. Hoc medicamentum etiam accommodatum
est vulneri quod globulus, qui per totum membrum perru-
=pit,

=pit, intulit. At tum in longitudinem implicitum linamentum
unguento quodam illitum in utrumque foramen demittendum.
Hanc enim curandi rationem funiculo praefero, quem per vulnus
pervium longa acus retusa ducat, bis die unguento superinun-
=ctum trahendum sic, ut subeat pars, quae superior fuit. Adhaec
scire convenit, quod altero aut tertio demum die pus nasci con-
=suevit. Id si copiosum fertur, ut fere in vulnere profundo, aut
membrum magnum transeunte, usu venit, ter die resolvi
opus est; et hoc animadverti, ut sicubi pus sinum creat, super
eum, nisi quid obstat, pulvillus fascia, orificio vulneris non
compresso, justo modo adstringatur. Cum aliquando fistulae
sive plumbeae, sive argenteae flexibilis usus necessarius est.
Cum tendo, vulnere repurgato, nudus apparet, respergendus
est resina terebinthina bene contrita usque, dum carne tega-
=tur. Si ob tormentum disruptum corpori cum vulnere contusio
contigit, cerato de cumino (quod habeat, empl: diapalm. ℥j.
cerae flavae ℥ij. ol: camomill. aneth. ana ℥iss. philosoph. ℥ß.
pulv. cumini ℥vi: è quibus L. A. fiat ceratum) super eam
illinendum est. Ubi à viva caro mortua resolvitur, si sangui-
=nis profusio supervenit, sistenda est, sicuti antea proposui-
=mus. Cum per auxilia supradicta jam vulnus purgatum est
sed nondum plenum est, carne replendum, quod suprapos-
=itum unguentum ex unguento basilico et balsamo Arcaei
mixtum praestat, nisi quod, cum alte descendit, aut membrum
pertransiit, balsamus copaivae, cui dimidia portio balsami sul-
=phuris terebinthinati admixta sit, calide et parce infunden-
=dus, vel auriculario clystere intus agendus est. Medicamenta
vero, quae tandem vulneri repleto cicatricem inducant, sunt
empl. diapalma, de minio, aliaque id genus. Inter suprascri-
=ptam curandi rationem ratio symptomatum habenda. Ex
illorum numero dolor nobis primum occurrit. Isque vel ob
medicamenta acria contingit; vel quia linamentum immo-
=dum collyrii nimis adstrictum, et justo plenius est; vel eo
quod exitus puri non datur; aut quoniam ob pruriginem vul-
=nus manu admota scabitur; aut quando pars laesa inferior
habetur; aut denique, quia sanguis et pus acrimonia sua
movent, in quo casu orae rubrae conspiciuntur. Quibus ge-
=neribus, si causas evitemus, facile opitulamur, cum eo, ut
si acrimonia laedit, medicus remedium acria leniens et per
alvum educens praescribat. Sequitur inflammatio, quam
vel dolor facit; vel medicamenta pinguia cuti admota
evocant; vel tela gossipina excitat; vel lintea pure im-
=munda inducunt; vel postremo sanguis vitiosus creat.
Inflammationem vero esse ex eo, quod parum sanguinis
si fluit, effluxit, non credo. Hoc autem vitium singulas
causas removendo; sed sanguinem vitiosum, si in causa sit,
opera medici, sanescit, emplastro diapalma vel defensivo,
super locum inflammatum imposito. Cum ad inflammatio-
=nem praeveniendam altero ex his emplastris uti convenit.
Jam habemus febrem, cui cum occurrendo, tum sanando, per-
bo=

bonam victus rationem, ac remedia convenientia medicus 5.
operam dare debet. Sed venæ sectionem, si medicus necessariam
judicet, chirurgus administret. Etiamque erysipelas, cujus cura
interna medico committenda, fere in partem, quæ circa vul=
=nus est, inprimis si non satis calida habetur, invadit. Raro
incidit in locum, qui longiuscule à vulnere abest. Si leve
est, farina tritici adhibenda; sin grave, cataplasmatis ex alica
avenæ necessarius est usus. Eo usque utendum est, donec co=
=lorem parti naturalem reddidisse, et tumorem omnem sol=
=visse videatur. Nervorum distentio accedere potest, vel quando
fragmentum ossis tendinem nervumve pungit; vel quando san=
=guis succusque nervosus male habet. Prior casus requirit
fragmenti remotionem; et posterior medici opem. Denique
pruritus, si ex emplastro pingui oriatur, aridiori utendum est; si ex
sanitate proxime ventura provenit, sanitate reddita per se decedit;
sin è pustulis exiguis, inungendæ sunt axungia porci, cujus un=
=ciæ admixto sunt præcipitati albi drachmæ duæ. Cæterum su=
=perioribus adnectenda sunt quædam scitu necessaria ad vulnera
sclopetorum pertinentia. Cum membrum eminens adeo lacera=
=tum, atque communitum est, ut sanitas restitui nequeat, præ=
=cidi optimum est. Idem intelligendum est, ubi membrum
ejusmodi bombardæ globus sustulit. Quanquam, symptomatis
non urgentibus, si brachium sit, quicquid mortuum est, per
remedia apta à vivo resolvi licet. Si sclopetum non nisi pul=
=verem nitratum habens recta in faciem explosum est,
ilico spiritus vini, quo homo ad se redeat, dandus. Sangui=
=nis cursus è naribus fere quiescit per se. Proterea super faciem
unguentum ex tribus vel quatuor partibus olei raparum
et una ceræ flavæ compositum linteolo illinitur, et sic ca=
=lide imponitur, diligentia adhibita, ne os naresque con=
=tegat, sed fasciolis contineatur. Per hoc remedium, pure
orto, facies, quæ ex pulvere dicto nigra est, color magis
naturalis redditur, tumor discutitur, et oculi denuo ape=
=riuntur. Ac quia sanguis in naribus concretus foramen,
quo spiritus ab iis ad fauces descendit, claudit, eodem un=
=guento demisso solvi eximique debet; facie ad sanita=
=tem perducta, pulveris grana relicta aqua cocta calida
cui paulum liquoris vel olei tartari per deliquium sit in=
=fusum, per spongiam aliquot dies jugiter madefiant, ut eo
nec soluta eluantur. Aliogquin eadem cuspide phlebotomi
rectius quam acu effodiuntur. At plerumque fit, ut ima ca=
=va aliquod nigrum servent, quod, ubi Mercurius præcipita=
=tus illinitur, et duodecim horis proteritis unguentum supra
=scriptum ex oleo raparum et cera flava superdatur, con=
=sumptum sanescat.

Ad diem 2d Jan.
1736.

bonam victus rationem; ac remedia convenientia medicus
operam dare debet. Sed venæ sectionem, si medicus necessariam
judicet, chirurgus administret. Etiamque erysipelas, cujus cura
interna medico committenda, fere in partem, quæ circa vul=
=nus est, inprimis si non satis calida habetur, invadit. Raro
incidit in locum, qui longiuscule à vulnere abest. Si leve
est, farina tritici adhibenda; sin grave, cataplasmatis ex alica
avenæ necessarius est usus. Eo usque utendum est, donec ca=
=lorem parti naturalem reddidisse, et tumorem omnem sol=
=visse videatur. Nervorum distentio accedere potest, vel quando
fragmentum ossis tendinem nervumve pungit; vel quando san=
=guis succusque nervosus male habet. Prior casus requirit
fragmenti remotionem; et posterior medici opem. Denique
pruritus, si ex emplastro pingui oriatur, aridiori utendum est; si ex
sanitate proxime ventura provenit, sanitate reddita per se decedit;
sin à pustulis exiguis, inungendæ sunt axungia porci, cujus un=
=ciæ admixtæ sunt præcipitati albi drachmæ duæ. Cæterum su=
=perioribus adnectenda sunt quædam scitu necessaria ad vulnera
sclopetorum pertinentia. Cum membrum eminens adeo lacera=
=tum, atque comminutum est, ut sanitas restitui nequeat, præ=
=cidi optimum est. Idem intelligendum est, ubi membrum
ejusmodi bombardæ globus sustulit. Quanquam, symptomatis
non urgentibus, si brachium sit, quicquid mortuum est, per
remedia apta à vivo resolvi licet. Si plopetum non nisi pul=
=verem nitratum habens recta in faciem explosum est, pub=
ilico spiritus vini, quo homo ad se redeat, dandus. Sangui=
=nis cursus è naribus fere quiescit per se. Præterea super faciem
unguentum ex tribus vel quatuor partibus olei raparum
et una ceræ flavæ compositum linteolo illinitur, et sic ca=
=lide imponitur, diligentia adhibita, ne os naresque con=
=tegat, sed fasciolis contineatur. Per hoc remedium, pure
orto, facies, quæ ex pulvere dicto nigra est, color
naturalis redditur, tumor discutitur, et oculi denuo aperi=
=riuntur. Ac quia sanguis in naribus concretus foramen
quo spiritus ab iis ad fauces descendit, claudit, eodem un=
=guento demisso solvi eximique debet; facie ad sanita=
=tem perducta, pulveris grana relicta aqua cocta calida
cui paulum liquoris vel olei tartari per deliquium sit in=
=fusum, per spongiam aliquot dies jugiter madefiant, do=
=nec soluta clauantur. Alioquin eadem cuspide phlebotomi
rectius quam acu effodiuntur. At plerumque fit, ut ima ca=
=ra aliquod nigrum servent, quod, ubi Mercurius præcipita=
=tus illinitur, et duodecim horis præteritis unguentum supra
=carptum ex oleo raparum et cera flava superdatur, con=
=sumptum sanescat.

Ad diem 20 jan
1736.

Chirurgia remediis
gaudet probatis.